

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Quousque vires liberi arbitrij in statu innocentiae se extenderent. disp. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

justificationem sequuntur, meritoriae iam sunt incrementi gratia & vita æternæ, utique quemadmodum ab auxilio supernaturali, diuinæ gratia pendent, ut sint, sic quoque pendent à libero concursu voluntatis. Quò fit, ut voluntas propriissimè fortior rationem liberi arbitrij, non solum comparatione volitionum indifferentium ex suo genere, quales sunt volitiones plantandivineas, ac adificandi domos: & earum, quæ mala sunt, & à fine naturali, aut etiam supernaturali deuant, ut sunt volitiones vitiorum: atque etiam earum, quæ bona sunt, fini tamen naturali dumtaxat commensuratae, quales sunt volitiones virtutum moralium: sed etiam comparatione volitione supernaturali fini accommodatarum: id quod Concilium Tridentinum sess. 6. præsertim à canone 4. definit, & in sequentibus fiet manifestum.

D I S P U T A T I O N . I V .

Quoniamque vires liberi arbitrij in statu innocentie se extenderint.

**V**T à secundo eorum statuum, qui disputatio-

*Hominis in statu innocentia cum solo concusso Dei generali implevere poterat totam legem naturalem.*

ne præcedente explicati sunt, ordinamus: Communis est Diu Thomæ i. 2. q. 109. art. 2. 3. 4. & 8. atque art. 10. ad tertium, & Doctorum sententia, in statu innocentie ratione iustitia originalis, quæ vires sentientis coëfrecet, ne bellum aduersus rationem mouerent, quæque in causa erat, ne corpus fatigaretur, vllamve molestiam sustineret in executione operum virtutum, atque in parendo reëxrationi & legi Dei, hominem per suum liberum arbitrium, cum solo concusso generali Dei potuisse absque alio auxilio speciali implere, etiam ad longissimum tempus, totam legem quoad substantiam actus, quæ ad nihil supernaturale obligaret, atque adeò potuisse se contire ab omni peccato tam veniali, quam lethali, per quodcumque tempus, licet longissimum. Cùm enim ea omnia sine labore & tacto, summaque cum facilitate præstare posset, neque villas alias tentationes haberet, præter eas, quæ extrinsecus inferrentur, & præter innatum appetitum excellentiæ, ac laudis quoad voluntatem & intellectum, que omnia in tanta tranquillitate passionum\*, tamque præclaris donis prædictis, facile poterat superare, utique nihil erat, quominus totam legem ad longissimum quodcumque tempus suo libero arbitrio posset seruare, contingere se ab omni peccato lethali & veniali.

*Cum habitibus fidei, spei, & caritatis, &c. cōmuni Dei auxilio operari poterat suā salutem.*

Communis præterea sententia Doctorum est, hominem in eodem statu per dona supernaturalia fidei, spei, caritatis, ac gratia potuisse cum communis auxilio Dei operari suam salutem, vitamque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus. Cùm enim eiusmodi habitus accommodati sunt ad eliciendum cum viribus naturalibus, & communis Dei influxu, actus ad quos ordinantur, nullaque esset difficultas in Adamo, vel in illis elicendis, vel in continuandis, & multiplicandis eidem actibus, utique cum cōmuni auxilio Dei posset erat operari suam salutem, vitamque æternam promereri.

Quod ex eo confirmatur, quoniam nos, comparato habitu fidei, spei, aut caritatis supernaturalis, possumus cum cōmuni auxilio Dei elicer vnum, aut alterum actum fidei, spei, aut caritatis supernaturalis, eliceréque vnum, aut alterum opus meritorium, licet diu totam legem, propter rebellionem virtutum sentientium, & debilitatem corporis, ac molestiam, implere non possumus, ut præter alios affirmat Sotus terro de natura & gratia cap. 4. cùm

ergo in Adamo nulla esset tunc debilitas, molestia, aut rebellio, consequens profecto est, ut cum communi auxilio Dei potuerit operari suam salutem, vitamque æternam præmereri.

Quare primi parentes in statu innocentie plenissimam libertatem habebant, tum ad declinanda ea omnia, quibus à fine tam naturali, quam supernaturali auerti poterant, tum etiam ad ea omnia executioni mandata, quæ ad vitrum finem a sequendum essent necessaria. Vnde Augustinus de correct. & grat. cap. 10. & duobus sequentibus plenissimam eos habuisse libertatem affirms, accepit. Seque gratia & auxilio, non quidem quo nō potuerint non perseverare in gratia: id enim ad statum semperiternæ felicitatis spectat: sed quo potuerunt perseverare, & nō perseverare: per solum verò eorum liberum arbitriū stetit, quominus id opere impeleret. Eamdem quoque plenitudinem libertatis affirms eos accepisse Hypognost. lib. 3. in principio ipse, aut quicunque alius eius operis est autor.

Obiicit nobis aliquis fortasse cap. 19. prouincialis Concilii secundi Araufiani, quod ita habet:

*Natura humana etiam si in illa integritate, in qua est condita permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo nō adiuuante seruare, unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quæ accepit: quo modo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit. Ex qua definitione constare videtur, primos parentes ad vitanda lethalia peccata, fine quibus salutem, quam accepérat, non amitterent, atque adeò ad perseverandum in originali iustitia, & gratia, egiisse superaddito auxilio particulari gratiæ, præter iustitiam originalē, donāq; habitualia gratia ac virtutum Theologali quemadmodum post gratiam habitualē amissam indiget homo peculiari auxilio ad eam recuperandam.*

D. Thomas prima secunda q. 109. art. 2. 3. & 4. affirms, ut homo naturæ integra naturali dilectione Deum super omnia diligenter, seruare, & que precepsa omnia naturalia, etiam quæ sub veniali culpa obligant, atque adeò ab omni peccato abstineret nullo gratuito Dei auxilio, sed solo vniuersali, quo cū omni causa secunda cooperatur, indiguisse. Articulo verò 8. eiusdem questionis egiisse ait, auxilio Dei in bono conseruantis: quo subtrahito, inquit, etiam ipsa natura in nihilum decideret. Nonnūne autem huius auxilij non aliud videtur intelligere, quam influxum vniuersalem, quo cuncta in eis conseruat, à quo actiones, effectuque omnes causarum secundarum quamdiu in rerum natura existunt pendunt: de quo dicitur inferius. Ómne de concursu Dei vniuersali sermo erit. Difficultatem verò ex capite 19. concilii Araufiani nunc propositam, neque solutam, neque à quoquam in medium productam haecenus me legisse memini.

Solutio autem, veraque illius capituli intelligentia inde elucebit, si duo quedam ante mentis oculos habeamus. Primum est Pelagianos, ut disp. 1. dictum est, constabitque magis ex sequentibus, asseruisse, solas vires naturales arbitrij nostri, præcisè spectatas à quoquam auxilio, & dono Dei superaddito, esse sat: tum ad conseruandam amicitiam cum Deo, tum etiam ad illam redin: egran: dam, recuperandam per penitentiam, postquam per peccatum esset amissa. Secundum verò Patres (ut ex dicendis in progressu huius operis erit manifestum) dum aduersus huiusmodi Pelagianorum errores loquebantur, quippiamve definiebant, nomine auxiliij gratia, id omne intellexisse, quod superadditum viribus arbitrij nostri, has adiuvat, ut non succumbant, & ut supernaturalia opera

O o q 4. exerceant,

Dicitur  
obiecit.

exerceant, siue id esset habitus supernaturalis in-  
fluens cum potentia, siue morio & influxus sine  
habitu. Atque id totum comprehendebant nomi-  
ne gratia, qua aduersus Pelagianos dicebant arbitrii  
nostrum, ultra suas vires naturales, indigere.

Hoc iacto fundamento, dicendum est, Patres  
concilij Arausicani eo in capite hanc potissimum  
conclusionem aduersus Pelagianos intendisse de-  
finire. Homo salutem spiritualem amissam recupe-  
rare non potest suis viribus sine gratia, hoc est, sine  
Dei supernaturali adiutorio, modo paulo ante ex-  
plicato. Ut vero eam definirent præmiserunt: *Natu-  
ra humana, etiam si in illa integritate, in qua est con-  
dita permanaret, nullo modo seipsum (suis scilicet solis  
viribus naturalibus ut Pelagiani dicebant) creare  
suo non adiunante (saltem per influxum habituum  
iustitiae originalis, gratiae, & Theologalium virtutum)  
seruaret. Vnde cum sine gratia Dei (solo scilicet  
influxu suorum virium naturalium) salutem non possit  
custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia (solis  
scilicet suis viribus) poterit recuperare, quod perdidit?*

Quare nemo potest ex eiusmodi definitione colli-  
gere, primos parentes in innocentia statu ad vita-  
da lethalia peccata, perseverandūque in gratia,

equiue auxilio particuli superaddito habitibus iu-  
stitiae originalis, gratiae, & Theologaliūque virtutū.

Consonat haecenus dictis Augustinus de natura  
& grat. cap. 48. dum ait, *Naturam humanam in pre-  
senti statu egere ad non peccandum perseverandūque  
sine lethali culpa, adiutorio medicinae Salvatoris. Sanè  
medicina Salvatoris habitualem gratiam, qua fa-  
namur, includit, ac proinde in adiutorio illo influ-  
xum habitualis gratiae comprehendit.*

Et de correct. & grat. c. 11. & 12. proculdubio no-  
mine adiutorij, cum quo Adam in statu innocentiae  
perseverare potuit sine peccato, non aliud in-  
tellexit, quam dona habitualia iustitiae originalis,  
gratiae & Theologalium virtutum, aliorūque ha-  
bituum supernaturalium, per quæ & continetur pars inferior, ne bellum aduersus rationem moue-  
ret, & torus homo in naturale, & supernaturale bo-  
num per eiusmodi habitualia dona propendebat,  
facileque viam mandatorum poterat currere, resi-  
steretque illi ipsi tentationi, cui succubuit. Vnde  
cap. 11. citato ait: *Istam gratiam non habuit homo pri-  
mus, quamquam vellet esse malum: sed sane habuit, in  
qua si permanere vellet, nūquam malus esset, & sine  
qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset: sed  
eam tamen liberum arbitrium deserere posset. Neque  
ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, qua reliquit  
in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad  
malum sufficit, ad bonum autem (supernaturale intel-  
lige, de quo est sermo) nihil est, nisi adiunetur ab  
omnipotenti bono: quod adiutorium, si homo illi per liberum  
non deseruerit arbitrium semper esset bonus: sed deseruit,  
& desertus est. Tale quippe erat adiutorium quod des-  
ereret, & in quo permaneret, si vellet: non quo fieret, vt  
non vellet. Hec prima est gratia qua data est primo  
Adam. Haecen ibi Augustinus.*

Et cap. 12. ait: *Primo itaque homini, qui in eo bono,  
quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare,  
posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum  
est adiutorium perseverantiae, non quo fieret, vt perseve-  
raret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare non  
posset. Et infra: vt perseverare vel non perseverare in  
eius relinqueretur arbitrio, tales vires eius habebat vo-  
luntas, qua sine illo fuerat instituta peccato, & nihil illi  
ex se ipsa concupiscibiliter resistebat, vt dignè tan-  
ta bonitati, & bene vivendi facultati, perseverandi con-  
comitaretur arbitrium. Ecce, per eadem habitualia*

A dona per quæ interna bella erant sublata, ad ho-  
numque propendebat, ait Adam um in innocentia  
statu consecutum fuisse arbitrium, facultatemque  
perseverandi, si vellet.

Et D. Thomas prima secundæ q. 109. art. 10. ad  
tertium, hoc ipsum cum Augustino locis citatis  
vult esse donum, quod Adamus accepit, per quod  
perseverare potuit: eoque pacto Medina ad eum  
articulum cum exponit. Atque iuxta ea, quæ  
ex ipso paulo ante retulimus, proculdubio est di-  
cendum, id ex D. Thomæ sententia sufficeret, vt  
diu vitare posset, etiam omne veniale peccatum, ne  
dum lethale, atque adeo, vt perseverare posset in  
gratia. Non tamen consentio cum Medina codem  
loco affirmante, sicut Adamo sufficiens fuit ad per-  
severandum in gratia habituali donum iustitiae  
originalis & gratiae: ita, ex D. Thomæ sententia,  
satis esse nobis ad perseverandum in gratia ipsum  
habituali donum gratiae gratum facientes, quod,  
dum à peccato resurgimus, accipimus. Neque enim  
id Diuus Thomas docet, neque est par vitiose  
ratio: cùm primi parentes vires illas haberent non  
tam à gratia gratum faciente, quam à dono iustitiae  
originalis qua partem continebat inferiore, ne  
bellum aduersus superiorē moveret. Ac sicut contrari  
contrarium definit concilium Tridentinum sessio. 6.  
can. 22. nempe nos ad perseverandum in gratia,  
ultra ipsum habituale gratia donū, indigere quo-  
tidiano Dei auxilio superaddito, quod Deus num-  
quam iustis denegat, quantum satis est, vt, si velint,  
in gratia perseverent, vt suo loco videbimus.

Quando autem Augustinus de correct. & grati-  
a, & cum eo D. Thomas loco citato afferuerat,  
plus homines accepisse per Christi donum, quatenus  
multi accepert, non solum id quo perseverare  
poterant, si vellet, sed etiam vt re ipsa persevera-  
rent, quam fuerit, quod accepit Adam, nempe donum,  
quo perseverare potuit, non tamen perseverauit:  
in primis id intelligent ex parte effectus, quia ma-  
giorem effectum habuit gratia Christi in adultis, quif-  
isque ad finem vitæ perseverauerunt (cooperante  
tamen ad perseverandum libero ipso summet ar-  
bitrio) quam habuerit gratia Adamo collata: per  
quam, ex Adami defectu non volentis cum ea co-  
operari, non perseverauit. Non tamen negant, ne-  
que negare possunt, gratiam Adamo collatam, si  
per arbitrium Adami non steriles, poruisse re ipsa  
habere utrumque effectum, solaque culpa Adami  
illum non habuisse. Quod si Adamus, vt potuit,  
perseverasset, certe secundus effectus, hoc est, per-  
severantia ipsa in gratia, se ipsum ab omni lethali  
culpa continendo, non fuisse ex solis viribus Ad-  
ami, sed præcipue ex cooperatione Dei per habi-  
tualia dona, quæ ad perseverandum illi contule-  
rat, per solumque Adamum sterit, quo minus ha-  
berent eum effectum, ad quem, dependet tamen  
ab ipsius arbitrio, fuerant eidem collata. Admoner-  
vero optimè Diuus Thomas in responsione ad  
tertium citata, multò facilius homines in statu in-  
nocentiae potuisse per suum arbitrium perseverare  
cum æquali gratia, quam possumus modò. Atque  
hinc eliceremus secundum modum expo-  
nendi doctrinam D. Augustini & D. Thomæ, de  
qua agimus, nempe, vt intelligatur etiam ex parte  
ipsiusmet gratiae, & non solum ex parte effectus.  
Etenim cum iustitia originalis, ea ex parte, qua  
sensualitatem continet, ne aduersus rationem  
bellaret, quodammodo computetur inter natura-  
lia, vt disputatione precedente dictum est: sicut  
longè maior est gratia, qua per Christum data fu-  
martyribus,

martyribus, per quam non solum perseverare potuerunt, sed te ipsa diuturnam fortissimumque pro Christo bellum superauerunt, quam fuerit gratia Adamo collata, per quam licet perseverare potuerit, in summa tamen tranquillitate leui ad modum tentationis superatus est. Et enim longe maiora auxilia gratia necessaria fuerunt martyribus, ut Laurentio, & Vincentio, ad victorias adeò insignes, carne, mundo & diabolo tam acriter opugnantibus, reportandas, quam fuerint Adamo ad perseverandum sine peccato in tam felici, & tranquillo statu. Atque hoc est quod Aug. de correct. & grat. locis citatis & vult & aperte docet.

DISPUTATIO V.

*Quid extra statum innocentia posse liberum arbitrium cum solo Dei concursu generali circa actiones singulas, que finem naturalem non transcendunt.*

Conclusio.

Homo cum solo concursu generali efficeret opus bonum morale, quod naturali fini, non vero supernaturali, non accedit.

V ad vires liberi arbitrij in homine, sive in puris naturalibus, sive post naturam lapsi spectato accedamus, sit hac conclusio. Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio gratia, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit vere bonum, ac virtutis opus: non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat. Posterior pars dilucida fiet disputatione sequenti: prior vero communis est Scholasticorum, si modis Gregorii Ariminensem, & Capreolum, paucosque alias excipias, qui existimant neque ad id liberum arbitrium habere vires in statu naturae lapsi sine speciali auxilio Dei. Est etiam doctrina Parrum consentanea, quicquid nonnulli dicant.

E verò probari potest, quoniam in homine est lumen naturale ad cognoscendum, quid honestum, decens, & contentaneum recta ratione sit, ut experientia ipsa testatur paterque ex Psalmo 4. vbi cùm Propheta premisisset, *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona subiungit, Signum est super nos lumen vestrum Domine, quia scilicet ad tuu imaginem conditi sumus, quo quid bonum, atque honestum sit, cognoscimus, imo quia id ratione cognoscimus, deinde à recta ratione culpa est arque peccatum, quo ea dumtaxat ratione carent pueri & amentes dum turpe aliud committunt, quod inter bonum & malum morale discernere nequeant: cùm ergo in multis bonis, vt in honore parentibus exhibendo, in eleemosyna pauperi ex commiseratione tribuenda, in soliendo debito coniugal, & in plerisque aliis, quae ad alias virtutes morales pertinent, non tantum difficultatis experiamur, quin id voluntate amplecti, executioni mandare facile possumus: consequens est, vt similia bona moralia solo concursu generali, viribusq; naturalibus liberi nostri arbitrij non solum velle, sed etiam efficere possumus. Mirum namque esset, quod ad agendum honestè, tamquam in fine naturalem, essemus conditi, nullum tam actum honestū viribus propriis, solumque concursu generali Dei possemus efficere.*

Vérum responderet Gregorius. Ut eiusmodi opera sint bona moralia, necessarium esse, ut in Deum tamquam in ultimum finem referantur: quod tamen, vt ait, sine speciali auxilio Dei homo præstare non potest. Nihilominus cùm unaqueque vir-

tus ex suo proprio obiecto, atque fine immediato bonitatem moralem sibi propriam vendicet, sicut etiam distinctionem à quacumque alia virtute, non verò ex relatione per virtutem superiorē ad finem superiorē, quis non videat necessariam non esse talē relationem, vt auctus aliquis bonitatem moralem virtutis, verbi gratia, misericordia, aut iustitia consequatur, sed fatus esse, quod virtute ad Deum referatur: quo pacto quemadmodum bona cuncta suapte natura, atque ex præordinatione diuina sunt propter ultimum finem: ita eo ipso quod secundum se sunt volita, sunt virtute volita propter ultimum finem. Addit, cùm Deus lumine naturali cognoscatur esse prima causa, & ultimus finis omnium rerum, vt ex Paulo ad Romanos 1. constat: liberum arbitrium ex viribus suis naturalibus, solo cōcuso Dei generali referre posse huiusmodi auctus in Dei ita cognitum: quod fatus erit, vt tales auctus sunt boni moraliter comparatione finis naturalis.

Confirmatur eadem conclusio ex illo ad Romanos 2. Cū gentes, qua legem non habent (scriptam scilicet) naturaliter, qua legis sunt, faciunt, eismodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ecce, Paulus naturaliter, hoc est, ex solis viibus naturæ, ait gentes interdum efficeret, quia legis naturalis sunt: quæ planè sunt bona moralia fini naturali accommodata.

Conclusionem nostram aperte affirmat Augustinus seu alius eius operis autor, Hypogn. lib. 3, vbi cùm docuisset primum parentem in statu innocentiae habuisse plenam libertatem, etiam ad bonum supernaturale, vitamque æternam promerēdam & sequendam: hanc autem libertatem ad bonum sibi & nobis perdidisse per Christumque nos consequi auxilia & dona gratia vt huiuscmodi bonum facete possimus, ita concludit: *Esse faciemur liberum arbitrium in omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod si idoneum, que ad Deum pertinet, sine Deo, aut inchoare, aut certe peragere: sed tantum in operibus vita presentis, tā bonis, quā in crimi malis. Bonis dico, que de bono naturæ oriuntur: id est, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere: velle habere amicum: velle habere indumenta: velle fabricare domum: ex ore velle ducere, pecora nutritire, artem discere diuersarum rerum bonarum: velle quicquid bonum ad presentem pertinet vīā: que omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, immo ex ipso, & per ipsum sunt, vel ex eo cooperant: malis dico, vt velle idola colere, velle homicidium, &c. Hactenus ille. Cūm autem non neget hominem per liberum arbitrium sine speciali auxilio gratia posse velle comedere, quantum recta ratio dictat, & prout dictat recta ratio, imo id aperte confiteatur: quandoquidem quando consumto limites rationis transgredetur, inter mala esset computanda: planè confitetur sine auxilio gratia posse à nobis exerceri hoc opus temperantiae, & alia opera moraliter bona fini naturali solum accommodata, maximè cùm dicat liberum arbitrium sine gratia posse velle quicquid bonum ad presentem pertinet vitam, solumque excludat bonum, quod ad Deum (vt finis scilicet est supernaturalis) pertinet, quod planè bonum supernaturale esse debet, aut certe per bonum aliquod supernaturale ad ordinem bonorū supernaturalem eleuatur. Eamdem conclusionem apertiū adhuc affirmat idem Augustinus lib. de spiritu, & litera cap. 28. iunctis precedentibus & sequentibus, vbi licet ostendat, nos per gratiam Christi iustificari, efficerēque bona opera, & neque per legem naturalem, neque per scriptam esse iustitiam, ait tamen*